

**S**ecundo die dixit deus. fiat firmamentum in medio aquarū: et diuidat aquas ab aquis: vocauitq; firmamentum celum. Prophetam de celestibus misterijs loquentem audiamus. Fecit em̄ deus firmamentum rotundum mobile cetera sensibilia continens. Et ex aquis congelatis in modū cristalli solidauit: et in eo fixa sidera. Spera aut̄ celi cū sideribus in ea fixis duob; axis voluit. Quorū alter septentrionalis boreas: Alter australis nothus dictus voluit ab oriēte in occidentē tāta celeritate: vt nisi plane te contra cursum eam tardarent mundi ruinas faceret. Et artifex mundi: celi naturam aquis temperauit: ne conflagratōne ignis superioris: elementa inferiora succenderet. Supra nouem celozū orbes id est septem planetas: et speram octauam quam vocant inerrantem nonumq; orbem qui ratione non sensu dephensus est: primusq; est inter corpora que mouentur: creditum est decimum celum fixum manens et quietum: quod motu nullo participet. Neq; hoc tantum creditum a nostris: maxime iunioribus Strabo et Beda: s; a pluribus etiam hebreozū: pretereaq; a philosophis et mathematicis quibusdam: Equibus satis duos sit attulisse: Abraam hispanum astrologum maximū et ysaac philosophū: quoz vterq; hoc attestatur: quin et hic ysaac decimū orbem ab Ezechiele designatum intelligit per saphirū in similitudinē throni: vt color saphiri lucis nitorem: throni similitudo immobilitatem significet. Sed redeamus ad Moysem diuidentem aquā ab aquis medio firmamēto. Triplex em̄ particio corporoz sublunariū. Alia sup̄ mediam regionem aeris sunt: suprema. s. pars eiusdem elementi et purissimus ignis quod totum etheris nomine designatur ibi pura immixta et legitima elemēta. Alia infra ip̄am aeris medietullū: que apud nos sunt vbi elementuz purum nullum (neq; em̄ purum elementum sensibile) sed mixta omnia ex feculenta crassiozeq; parte mundani corporis constāt. Intercedens regio aeris que etiam dicitur firmamētum. vnde et aues sub firmamento celi ab eo volantes introducuntur: ea est regio in qua sublimes ille impressiones apparent: pluuie: niues: fulgura: fulmina: tonitrua: comete et cetera id genus. Recte igitur nō solum situ: sed et nature proprietate hoc firmamentum superiora elementa ab inferioribus: quasi aquas ab aquis discriminat et distinguit. Sup̄ eum pura sunt elementa: infra eam perfecta mixtione ab elementalī simplicitate discedunt. Vocauitq; firmamentum celum: cum tegat omnia sensibilia et inuisibilia quod a koylon quod est concauū deducit.

